Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 8. Aprilis.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne Lac alimentum optimum?

EX omnibus Naturæ bonis, quæ à Deo optimo maximo Homini viventium omnium principi ad vitam tuendam data ſunt, nullum magis, votis omnibus expetitur quam Sanitas, integra illa quidem & inculpata, quæ, ut diuturnioris, ita & beatioris vitæ, author merito dici poteſt: Ea quippe in optimâ partium ſimilarium temperie, atque in legitimâ diſſimilarium conformatione conſiſtit, ut & in intima partium omnium unione & conſenſione, ex quibus firma valetudo conſtituitur, eaque duratura, ſi natura corporis perpetua foret & æterna.

NATURAM corporis humani diverſimodè immutari nullus Mortalium negat, quæ quidem ex variis Elementis conflata, mutationi maximè obnoxia eſt, fit autem illa, dum calor nativus in ſubſtantiam aëream ſeu ſpirituoſam, liquidam ac ſolidam agit, eamque depaſcitur ac reſoluit, niſi in locum effluentis ſubſtantiæ reponatur alia ſimilis reſpirationis & nutritionis beneficio, quarum illa attracto aëre, ſpirituoſam, hæc cibis aſſumptis liquidam ac ſolidam reſtaurat.

REPARATIO autem illa quæ nutritione perficitur, in alimentis potiſſimum conſiſtit, quorum virtus precipua poſita eſt in temperie & conſiſtentiâ; at temperies temperata, & moderata conſiſtentia in alimentis eligi debet vel quæ proximè ad eas accedit, ut noſtræ ſubſtantiæ ſimillima. Unde alimentum illud ὑγιεινότατον cenſetur & optimum, quod natura ſua temperatum eſt ac mediocris conſiſtentiæ ut pote εὔχυμον, εὔπεπτον, εὐανάδοτον, εὐκοίλιον ac proinde naturæ noſtræ magis familiare & amicum; è contra hoc improbatur & damnatur quod contrarias habet vires, alendis partibus minus idoneas.

LAC, ros ille vitalis, cibuſque ſuaviſſimus, varium ac multiplex occurrit pro vario animantium genere ex quibus mulgetur. Lac mulieris ſanæ, junioris, ac temperatæ primas tenet, quod infantibus ac pueris convenit, ut & Vaccinum adultis: verùm illud recens non vetuſtum, in primis qualitatibus temperatum mediæ conſiſtentiæ, album ac dulce eligitur, quod laudabilem ſuccum ſuppeditat, belle coquitur diſtribuitur & ſecedit.

HISCE dotibus præditum Lac alimentis optimis merito adſcribitur, cave tamen, ne pravo uſu damnum afferat γαλακτοποσίη, iis maximè quibus aut bilis effera aut humor Melancholicus ſupra modum aſſatus redundant, illis ſiquidem innocuus eſſe non poteſt lactis uſus, cum hic & ille humor pravis ſuis qualitatibus, optimum quodque corrumpant. Suis etiam non caret incommodis Lac, quod aut ὀξύνεσθαι aut κνισοῦσθαι: ſed hæc mala quæ emendari & corrigi poſſunt, non reformidant τὰ εὔκρατά τε καὶ ὑγιεινὰ σώματα, qua ratione temperatis naturis ac belle habentibus Lac pro cibo datur, eſtque illis alimentum optimum.

Eſt ergo Lac alimentum optimum.

Proponebat Pariſiis PETRUS GAMARE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.